



ad vitam aeternam faciat, quantaque nobis commoda prae-  
 mera hominis natura in via ad salutem adferat, vt excors  
 plane debeat haberi, quem sola humana Christi natura mo-  
 veat. *Explanatiua* itaque hic et *declaratiua* magis particula  
*καί* dici debet, quam *copulatiua*: siue ἐξηγητικῶς accipitur, vt  
 loqui ii solent, qui tractant artem explanandi. 2) Explicat  
 enim, qui atque qualis sit ille Deus, in cuius, tamquam so-  
 lius Dei, cognitione vita nostra aeterna ponitur: ἀσάρκως  
 ne Deus sit, an ἐνσάρκως, et missus iam in mundum? Red-  
 denda per *nempe*, siue *videlicet*, vel *nimirum*, vt hacce περι-  
 φρασει falsae Socinianorum interpretationi, ego quidem ar-  
 bitrer, optime nos subuenire posse: *Haec est vita aeterna,*  
*quam is, cuius potestati omnis est caro subiecta, iis ex tuo, pa-*  
*ter caelestis! decreto det, quos ipsi tu dedisti, vt te, qui at-*  
*que quatenus solus tu verus Deus es, cognoscant. Quod,*  
*quamuis illud sit maximi atque grauissimi negotii, multum-*  
*que ad salutem nostram sempiternam acquirendam conferat,*  
*ita vt omnibus hominibus, non lapsis, ad vitam sempiternam*

E 2

obti-

2) Nemo autem, vt ego quidem ar-  
 bitror, ita hebes itaque hospes in iis,  
 quae tiro scire debet, erit, vt vsum no-  
 bis huius particulae explanatorium  
 siue declaratiuum serio neget. Quem-  
 admodum enim Ebraeorum tam no-  
 tum est, quam quod notissimum, par-  
 ticulas explanatiuas, *nempe, nimirum,*  
*scilicet, id est, etc.* notare; (§. 149.

membr. II. n. 2. lit. α et β. *Interpret.*  
*Compend. DANZ.*) sic STOCKIUS et-  
 iam (*Interpret. Graec. Cap. VII. §. 218.*  
 membr. II. n. 2. lit. i) exemplis, ex  
 sacra scriptura petitis, et DEVARIVS  
 (*de Graece linguae particulis pag. 177.*)  
 ex scriptoribus profanis talem expla-  
 natorium valorem particulae *καί*  
 commonstrauerunt.